

de prole pmissa securi adorato dño redierūt
diuinū pmissum hilariter expectantes. An-
na ergo cōcepit et filiā suo tpe peperit q̄ voca-
ta fuit maria. **T**ercio apparet dignitas na-
tiuitatis virginis rōe reuelatōis diuine: post
q̄ enī in celū assumpta fuit dies natiuitatis
cuius aliquāto tpe fideles latuit. **C**ōtingit er-
go vt refert iohānes beletb q̄ quidā vir san-
ctus sedule cōtemplationi insistentis singulis
annis. vi. ydus septēbris in orōne posuit iō-
cundissimā angeloz solennitatē audiret i celo.
Cūq̄ deuotissime sibi reuelare peteret cur
quolibet anno illa tm̄ die et nō alia hoc audi-
ret: diuinuz accepit r̄sum q̄ virgo glorioſa
maria tali die mundo fuisset nata. Et iō hoc
manifestaret filiū sancte ecclie vt concordēs
fierēt in hac celebritate celesti curie. **C**ū vero
hoc summo pontifici et alijs intimasset hunc
diē in honore natiuitatis virginis celebra-
dū vniuersaliter statuere. **G**audēam⁹ igit et
exultemus de tot amplissimis nobis oibus
collatis donis. **N**ā virgo q̄ nata est salutē at-
tulit mūdo. **E**t vt inq̄t **A**ug⁹ in sermone. p-
cisum est in ea illud eue infelicitatis elogium
de quo dicit. **I**n tristitia paries filios: q̄ ista in-
leticia dñm parturiuit. **E**ua enī luxit: ista ex-
ultauit. **A**ua lachrymas: maria gaudiuz in-
vitre portauit: q̄ illa peccatorē: ista edidit in-
nocentē. **E**t iterū in eodē sermone. **B**enedi-
cta tu in mulierib⁹ q̄ vitā et viris et mulierib⁹
pepisti. **M**ater generis nr̄i penā intulit mū-
do: genitrix dei nr̄i salutē attulit mūdo. **A**u-
ctrix pcti eua. auctrix meriti maria. **E**ua occi-
dendo obfuit. maria viuificando pfuit. **P**er-
cussit illa: sanauit ista q̄ simul cū filio collau-
detur in eternū et in secula seculoz. **A**men.

Sermo vigesimū sextus de annunciatio-
ne virginis beatissime.

Inuenisti gratiā
apud deū. **A**ngeli gabrielis re-
uerētissime virginē genitricem
dei salutātis verba sunt ista originaliter **L**u-
cā. i. ca. et in euangelio p̄ntis solēnitatis. **C**ū
ingenti leticia mentis dies ista est p̄curren-
da in qua virgo beata de celo ad suū vterum
traxit deū. **H**odie nāq̄ mellisui facti sunt ce-
li et p̄ etern⁹ ira deposita mīaz suā humano
generi demonstrauit. **H**odie facta est mira il-
la ineffabilisq̄ vnio diuine et humane natu-
re et in vtero virginis habitauit deus et hō.
Hodie virgo regia de stirpe dauid dei mater
effecta officiū intercedēdi p nobis apud suū
dilectū filiū suscepit. **P**ropterea ne tanti be-
neficiū immemores ingratiq̄ sumus de annū-

ciatione virginis in hoc sermone dicemus.
Ipsa quippe inuenit gratiā nō solū p se suffi-
cientē: sed p toto mūdo copiosam et abundā-
tem deū in suo vtero dei filio incarnando pa-
rauit habitaculū speciosum. **H**inc deuotus
ille **B**ernardus sup **D**issus est: ait. **V**irgo
regia gemmis ornata virtutū gemin⁹ oq̄ men-
tis et corpis parit decore p̄fulgida specie sua
et pulcritudine sua celi ciuiū in se puocauit
aspectū ita vt regis animū in suā p̄cupiscen-
tiā inclinaret. et celestē ad se nunciū de sup̄nis
induceret. hec ille. **E**rgo circa annunciatio-
nē dignissimā attendere volētes tria myste-
ria pponimus cōtemplanda.

Primū dicitur angelice missionis.

Secundū mutue colloquutionis.

Terciū mirabilis cōceptionis.

Et singularissima fuit annunciatio virgi-
nis respectu dei: respectu angeli: et respectu
virginis.

Primū mysteriū cōtemplandū dicitur angeli
missionis. **I**nq̄t **L**ucas. **D**issus est
angel⁹ gabriel a deo in ciuitatē galilee cui no-
men nazareth ad virginē desponsatā viro cui
nomē erat ioseph de domo dauid et nomen
virginis maria. vbi ponunt tot noīa p̄p̄ia. s.
angeli missi: virginis ad quā mittebat: spon-
si sui et loci ad ostendendā certitudinē histo-
rie vt dicit **A**lico. de lira. **Q**uantū vero sub-
limis preclarasq̄ fuit ista missio: ista legatio:
nos cōsiderare debemus maxime triplici re-
spectu.

Primo respectu dei.

Secundo respectu angeli.

Tercio respectu virginis.

Primo inquā cōsiderem⁹ huius legatōis
prestantiā respectu dei. **Q**uidnā ip̄o altius
q̄ cūcta p̄cellit qui est oē bonū et oīm creatura
rū celi et terre dñs. ip̄e vtiq̄ est de⁹ infinitus:
immēsus: etern⁹: oīpotēs: ineffabilis: de⁹ ma-
gnus dñs et rex magnus sup oēs deos q̄ hu-
mano generi lapso subuenire misericorditer
volēs: de virgine carnē disponēs sumere: ad
eā suū angelū destinauit. **S**ed mirant⁹ plerū-
q̄ et curiose inq̄rere sata gūt. **C**ur tādū ille q̄
clementissim⁹ est cui p̄p̄iū est misereri semp et
p̄cere cōtinuit i ira misericordias suas. est
quidē incarnationis donū summe liberali-
tatis et ardentissime charitatis. **U**n et apl⁹
ad **E**p̄hef. ca. ij. inq̄t. **D**eus q̄ diues est i mi-
sericordia p̄pter nimīā charitatē suā q̄ dilexit
nos cū essem⁹ mortui pctis viuificauit nos
in xp̄o. **C**haritas vero nō tardat amico sub-
uenire fm̄ illud sapiētis puerbioz. iij. c. **N**e
dicās amico tuo vade et reuertere cras enim

m ij

80

dabo tibi cum statim possis dare. Quare videretur q̄ statim post lapsum debuisset dei filius humanā carnē et naturā assumere. Ad qd̄ rñdet̄ fm̄ Alex. in. iij. summe. z dñm Bonauen. in. iij. di. i. et sanctū tho. iij. pte. q. i. q̄ nō fuit pueniēs statim post peccatū incarnari deū: sed dum venit plenitudo t̄pis vt̄ d̄r ad Galath. iij. c. et hoc triplici rōne.

Primo ppter peccati punitionē.

Scdo ppter morbi curationē.

Tercio ppter xpi p̄nunciationē.

Primo ppter peccati punitionē. voluit q̄p̄ deus oñdere hōi q̄tū sibi petm̄ displiceat qd̄ p totannoꝝ milia tā diuturna castigatiōe puniuit. Facilitas ei venie tribuit incentiuū delinquēdi. vt̄ no. de vi. et ho. cle. c. vt̄ cleris corū. Et di. xxvij. c. q̄ sunt. Et di. xlv. c. sed illud. Et di. l. c. de lapsis. et di. xcij. c. puenit et. i. q. vlti. c. erigunt. et. xxi. q. ij. c. placuit. et. xcij. q. iij. c. est iniusta. Et. xxv. q. ix. c. loci. Quare et si fuisset ex pte dei liberalius beneficium si a p̄ncipio incarnat⁹ fuisset: nō tñ fuisset vtili⁹ ex pte hūani generis recipiētis cui ex tarditate incarnatiōis oñdit̄ grauissima cōditio peccati. **S**cdo rō quare fuit pueniēs vt̄ nō statim post peccatū xps carnē assumeret d̄r ppter morbi curationē. Nā q̄ hō supbiendo peccauerat eo mō erat liberad⁹ vt̄ hūmilias⁹ p̄gnosceret se liberatore indigere. vñ glo. sup eplam ad Galath. ait. Magno cōsilio factū est vt̄ post hōis casum nō ilico dei filius mitteret̄. Reliqt̄ enī deus hōiem prius in libertate arbitrii i lege naturali vt̄ sic vires nature sue cognosceret vbi cū deficeret leges accepit. Qua data inualuit morbus nō legis sed nature vicio: vt̄ ita infirmitate sua cognita clamaret ad medicū et ḡre q̄reret auxiliū.

Tercia rō illi⁹ dilatōis fuit ppter xpi p̄nunciationē. Debebat quidē xpi aduentus ob excellentissimā suā dignitatē p̄nunciari z multo t̄pe antea p̄clamari. Nū ad hoc z glo. p̄dicta inq̄t. Quāto maior iuderveniebat tāto p̄conū series longior p̄cedere debebat.

Scdo cōsiderem⁹ angelice missionis p̄ eminentiā respectu ip̄i⁹ angeli. de q̄ apud viros doctissimos tripliciter dubitari solet. Et primo de q̄ ordine fuerit angel⁹ ille. Secundo an apparuit virgini in visione corporali. Tercio si fuit pueniēs vt̄ angel⁹ virgini annunciarer in ea dei filiū incarnandū. Primo de ordine illi⁹ angeli varia solet esse opinio. Quidā dixerūt q̄ fuit de ordine infimo. s. angeloz q̄ p illos p̄sueuerūt diuina hōibo reuelari. Et hoc videt̄ innuere textus cū dicit angelus z nō dicit archangelus. Sed ad hoc

dicimus q̄ q̄nis p̄prie angeli dicant̄ illi qui sunt in vltimo choro infime ierarchie: tñ large oēs de quibuscūq̄ ordinib⁹ angeli nūcupantur. Nā vt̄ Jsid. testat̄ in. vij. ebimol. li. Angelus latine nuncius d̄r. Dēs aut̄ vel mediate vel immediate diuina nunciāt q̄ ab ip̄o deo prius seraphin reuelant̄: et ip̄i illa cherubin manifestant: et sic gradatim vsq̄ ad vltimū ordinē fm̄ Dionisiū. Et p̄pterea licz Lucas dicat missus est angelus. nō tñ ita stricte accipit̄ vt̄ nō potuerit esse de aliq̄ ordine superiori. Hinc Bernardus sup missus est. ait. Nō arbitror hūc angelū ex minorib⁹ esse qui qualibet ex cā soleāt ad terras crebra legatiōe fungi qd̄ ex eius noīe palaz̄ intelligi dat̄: qd̄ interpretat̄ fortitudo dei. q̄ nō ab aliq̄ alio forti et excellenti vt̄ solet spū sed ab ip̄o deo mitti p̄bibet̄. Hanc vero tho. in. iij. scripto sniaz di. iij. Et. iij. pte. q. xxx. dicit. q̄ ille angelus fuit de medio ordie infime ierarchie q̄ est ordo archangeloz. Qd̄ puenienter videt̄ esse factū vt̄ saluaret̄ p̄prietas ordinum: q̄ ad angelos p̄tinet dirigere actus alicui⁹ hōis q̄ ad ip̄m tñ p̄tinent. vñ dicunt̄ minima nunciare. Ad archangelos vero p̄tinet dirigere actus hōis in totā multitudinē redundātes vñ et medij. s. archangeli dicunt̄ q̄ si p̄ncip⁹ angeli. Quia ergo cōsensus virginis qui p̄ angelū requirebat erat actus singularis p̄sone redundās in vtilitatē multitudinis: immo toti⁹ hūani generis. Ideo credit̄ q̄ fuerit de ordine archangeloz z q̄ fuerit summus in illo ordine. Et hoc videt̄ h̄re firmitatē ex eo q̄ ecclesia cantat. Gabrielē archangelū scimus diuinitus te esse affatū. Alij aut̄ opinant̄ angelū illū fuisse de ordine seraphin. qm̄ vt̄ Grego. dicit. Summū angelū venire dignum fuerat q̄ summū oīm nunciabat. Nec incōueniens q̄ p tanta re singularissima singularis nuncius mitteret̄ q̄ esset oīm angelorum excellentissim⁹. Dictus est aut̄ gabriel: q̄ vt̄ Grego. dicit in omel. hoc nomē officio suo cōgruit. Gabriel enī dei fortitudo nominatur. per dei ergo fortitudinē nunciandus erat q̄ virtutū dñs et potēs in p̄elio ad belandas potestates acreas veniebat. **S**cundo dubitari solet an angel⁹ ille apparuit virgini in visione corporali. Et rñdet̄ Tho. iij. pte. q. xxx. q̄ sic. Nā aug⁹. in p̄sona virginis loquēs in sermone ait. Venit ad me qui dam magnus paranimphus xpi nō patriarcha primus: aut̄ p̄pheta egregi⁹. sed gabriel archangelus facie rutilans: veste coruscās. incessu mirabilis: que p̄tinere nō p̄nt nisi ad corporeā visionē. Hoc aut̄ conueniens fuit.

Primo rōne similitudinis. qz illud quod annuntiabat erat incarnatio dei inuisibilis vñ cōueniens fuit vt ad huius rei declarationē inuisibilis creatura formā assumeret in q̄ visibiliter appareret: cū etiā oēs apparitōes veteris testamēti ad hāc apparitiōē ordinent q̄ dei filius apparuit in carne. Scōdo fuit cōueniens rōne certitudinis. Ea enī q̄ sunt oculis subiecta certius cōprehendim⁹ q̄ ea que imaginamur. Vñ dicit Crisostomus. sup. Mattheum. q̄ angelus nō in somnis immo visibiliter virgini astitit. Nā qz magnā valde reuelatiōē ab angelo accipiebat. Egebat tāte rei euent⁹ missiōne solenni. Tercio fuit cōueniens vt angelus visibiliter appareret rōne altitudinis. s. ppter altitudinē et dignitatem matris dei q̄ nō solū in mente sed i corporeo ventre erat dei filiū receptura. Et ideo nō solum mens eius: sed etiā sensus corporei erāt visione angelica delectādi. Et si obijceret q̄ fm Aug⁹. xij. sup. Genesim ad lram. Intellectus visio est potior et dignior q̄ corporalis: et p̄cipue ipi angelo magis pueniēs. Nā visione intellectuali videtur angelus in sua substantia: visione autē corporali videtur in figura assumpta corporea. Igitur angel⁹ annuncians magis apparere debuisset i visione intellectuali q̄ corporali. Rñdet tho. vbi. s. q̄ in intellectualis visio est potior q̄ imaginaria vel corporalis si sit sola. Sed ipse Aug⁹. dicit q̄ est excellentior pphetia q̄ habet simul intellectualem et imaginariā visionē q̄ illa q̄ habet alterā tm̄. Beata vero virgo nō solū pcepit visionē corporālē s; etiā intellectuālē illuminatiōē. Vñ talis apparitio satis nobilis fuit. Fuisse tñ nobilior si ipm angelū intellectuālī visione in sua substantia vidisset. sed hoc nō patiebat status hoīs viatoris. Tercio q̄ritur si fuit pueniens vt angelus annuntiaret virgini dei filium in ea incarnanduz. Et ad hoc rñdetur q̄ sic triplici rōne.

Primo ex parte dei.

Scōdo ex parte angeli.

Tercio ex parte virginis.

Primo fuit cōueniens ex pte dei vt in hoc seruaret ordo quē ipse statuit quo mediātib⁹ angelis ad hoies diuina pueniūt. Vñ Dionysius. iij. c. celestis ierarchie dicit. Diuinū iesu benignitatis mysteriū angeli primū edocui sunt postea p ipos ad nos cognitōis grā trāsīuit. Et in eodē libro ait. Diuinas visiones gloriosi p̄ses nostri adepti sunt p medias celestes virtutes. Tho. fa. fe. q. lxxi. inq̄t. Loquitur de visionib⁹ ppheticis que facte sunt mediātib⁹ angelis. Et si aliq̄s instaret q̄

virgo mater dei superior erat angelis. Sed vt Dionysius refert ca. vij. celestis ierarchie. Supremis angelis fit reuelatio immediate a deo: ergo et ipi virgini. Rñdere possumus q̄ mater dei superior erat angelis q̄tū ad dignitatē ad quā diuinitus eligebat. S; q̄tū ad statū p̄ntis vite inferior erat angelis: quia etiā ipse xps rōne passibilis vite fuit paulominus ab angelis minoratus vt dicitur ad Hebræos ca. ij. Sed qz xps fuit viator et cōprehensor q̄tū ad cognitionē diuinorū nō indigebat ab angelis instrui. Sed mater dei nō dum erat i statu cōprehensor. Et ideo de diuino cōceptu p angelos instruenda erat. Si vero vltiori cōtra hoc quispiā opponeret dicens q̄ beata virgo incarnatiōis fidē habebat sine qua nullus esse poterat in statu salutis: ergo nō egebat sup hoc ab angelo instrui. Ad hoc rñderi p̄t q̄ licz beatissima virgo plenam fidem haberet de xpo incarnando tñ qz humilis erat nō alta de se sentiebat neqz cogitabat se tanti dñi matrē futurā: et p̄terea erat sup hoc ab angelo instruēda. Scōdo fuit cōueniens ex pte angeli. ideo inquit Beda in omel. Aptū humane restaurationis principium vt angelus ad virgine mitteret ptu cōsiderandā diuino: qz prima pditionis humane causa fuit cum serpens a diabolo mittebatur ad mulierē spiritu supbie decipiendam. Tercio fuit expediēs ex pte virginis tñ vt ex tali nuncio mens eius eleuaret in deū. quia vt inq̄t Aug⁹. li. de virginitate. Beatior fuit maria cōcipiendo fidē xpi q̄ cōcipiendo carnem xpi. Et postea subdit. Materna p̄pinitas nihil marie pfuisset nisi felicius xpm corde q̄ carne gestasset. Tum vt esset certior testis huius sacramēti qñ sup hoc diuinū erat instructa. Tum etiā vt eius puritas ostēderetur. Vñ Hiero. ad paulā et eustochium bene inq̄t. Angelus ad virgine mittit qz sp̄s est angelis cognata virginitas. Tū vt voluntaria sui obsequij munera deo offerret: ad qd se p̄mptam obtulit dicēs. Ecce ancilla dñi. Erat enī quoddā spūale matrimoniū inter deū et humanā naturā. Et ideo p annunciationem expetebat cōsensus virginis loco totius humane nature. Tercio cōsiderare debemus missiōis angelice excellentiaz respectu virginis. Ip̄a vtiq̄ sola facta fuit digna portare in vtero regē celoz et dñm oīm creaturaz. Ob qd ecclesia sancta sibi dicit Sancta et immaculata virginitas qbus te laudibus efferā nescio: qz quē celi capere nō poterant tuo gremio cōtulisti. Atz in p̄sona eius ita cunctos fideles affatur. Cōgratulamini

mibi oēs qui diligitis me qz cum essem par-
uula placui altissimo et de meis visceribz ge-
nui deū et hoīem. **Hec** est ista pulcra et deco-
ra nimis filia hierusalē: cui dixit deus illud
Canticor. vi. ca. Pulcra es amica mea sua-
uis et decora. **Hec** est de qua ibidē subsequit
Una est colūba mea: pfecta mea: hec est quā
viderūt filie sion et beatissimā pdicauerūt et
regine laudauerūt eā. **O** felix puella. **O** celi
regina merito qlibet hō vel angel⁹ dicere ti-
bi p̄t illud puerbior vlti. c. **Multe** filie pgre-
gaucrūt diuitias: tu supgressa es vniuersas.
Ad ipam solā missus fuit de aula summ⁹ dei
legat⁹ singularis et insignis vt ipa virgo cō-
tentaret xpm q̄ de ipa carnē suscipe cupiebat
Erat inq̄t euāgelista desponsata viro cui no-
men erat ioseph et nomen virginis maria. de-
lectabile est illud nomen qd̄ interpretat stel-
la maris vel illuminās et dñā siue amarum
mare qz ipa fuit stella in sanctificatōe: illumi-
nans in cōuersatione amarū mare in filiū sui
passione: et dñā in assumptōe. **Sed** in hoc lo-
co circa eius desponsationē aliquādiu insi-
stere libet. **Cur** voluit xps matrē suā virginē
desponsari. **Et** ad hoc assignantur plures
rationes.

Primo ex parte xpi.

Secundo ex parte matris.

Tercio ex parte nostra.

Rōnabiliter virgo desponsata fuit pmo
ex parte xpi. tū ne ab infidelibz tāq̄ illegitime
natus obijceret. **Uñ** Ambro. dicit sup lucā.
Quid iudeis: qd̄ herodi posset ascribi si na-
tum viderēt et adulterio psecuti. **Tum** vt cō-
fucto mō eius genealogia describeret p virū
Ideo Ambrosi⁹ vbi. s. Qui in seculū venit
seculi debuit more describi. **Tum** vt partus
eius fm̄ Ignatium diabolo celaret **Et** licet
diabolus virtute sue nature potuisset cogno-
scere matrē dei nō fuisse corruptā sz virginē
phibebat tñ a deo pgnosce modū prius di-
uini. **Nam** vt docet Aug⁹. in. iij. de tri. Dia-
bolus multa p̄t virtute sue nature a quibus
tñ phibetur virtute diuina. **Si** aut postmo-
dum aliquāliter cognouit xpm esse filiū dei
nō obstat quia iam tempus erat vt xps suā
virtutē diuinā ostenderet. **Sed** in infantia
oportebat impedire maliciā diaboli ne eum
acrius psequeret qm̄ xps nec pati disposue-
rat nec suā virtutē ostendere: sed in omnibus
infantibz se similit̄ exhibebat. **Similiter** et se-
cundo fuit rōnabile ex parte matris. tum qz p
hoc reddid̄ immunis a pena ne lapidaretur
a iudeis tanq̄ adultera. tum vt ad puerū ie-
sum nutriendū haberet ioseph in auxilium.

Tercio id rōnabile fuit ex parte nostra. **Primo**
quidē eo qz testimonio ioseph cōprobatū est
xpm ex virgine natū. **Unde** Ambrosius di-
cit sup lucā. Locupletior testis pudoris
maritus adhibet qui possit delere iniuriā et
vindicare obprobriū si nō agnosceret sacra-
mentū. **Secundo** p hoc designat vniuersa
ecclesia q̄ cū virgo sit desponsata est vni viro
xpo. vt inq̄t Aug⁹. li. de sancta virginitate.
Et tercio qz m̄ dñi fuit desponsata et virgo
in psona ipius et virginitas et matrimonium
honorat s̄ hereticos alteri hoz detrahentes
Et vt ait Origenes sup mattheū. Beatavir-
go sponsa fuit ioseph. nō tñ in p̄cupiscentiā
iuncta. **Et** vt scribit Matthei. xij. Eratio-
seph faber lignarius. **Ideo** Criso. sup Mat-
theum inq̄t. Fabro lignario maria desponsa-
ta erat. qm̄ xps ecclesie sponsus oēm salutē
hoīm operatur⁹ erat p lignū crucis. **Putabatur**
inq̄t Mattheus fabri filius qz vt di-
cit Ambro. sup lucā. **Valuit** dñs desuo-
ortu q̄ de matrē pudore dubitari. scribit enī
tenerā esse virginis verecundiā lubricā famā
pudoris: nec putauit ortus sui fidē matris in-
iurijs astruendā. **Dū** igit ita esset disposita
puella illa cūctis virtutibz redimīta qz et vir-
go erat et ioseph desponsata et tps instabat vt
iam mere suos radios de⁹ effunderet super
terrā. **Angelus** gabriel vt puto cū oīm ange-
lorū noticia vocat⁹ est. **Cui** deus p̄: vadeo
angele mi ad virginē in nazareth p̄morantē
eāqz meo noīe salutando requires illā vt me
acceptare velit suū castissimū sponsum cui di-
lectū filiū meū mibi coequalē ab eterno geni-
tū ita dare dispono vt ex ea natus ex tpe fm̄
carnē meus tñ sit et ipius filius. **Ipsē** vero
filius subsecut⁹ est. **O** angele gabriel conabe-
ris virginē illā instruere qz ipam elegi m̄fem
dulcissimā in cui⁹ vtero nouē mensibz habi-
tabo et tandē immaculata et incorrupta pa-
riet deū et hoīem. **Subdidit** et spūs sanctus
Ego illā armariū gratie mee institutā et p̄ce-
ptioni filij vt sancta sit et mirabilis coopera-
bor. **O** quale tripudiū illa hora fuit in ange-
licis choris. **O** quāta leticie cantica dū tota
celestis curia benedixit et gratias dedit im-
mortali et benignissimo deo.

Qualiter angel⁹ salutauit p̄ginē: et q̄re vir-
go turbata fuit: et de grā virginis copiosa at-
qz de supuentione spūs sancti in ipam.

Capitulū. ij.

Secundū mysteriū cōtemplandū circa
annunciationē virginis d̄r mutue col-
locationis. **In** q̄ tria cōsideremus.
Primo virgis salutatio q̄liter fuit salutata.

Secundo virgīs turbatoz q̄liter fuit turbata.
Tercio virgīs declaratoz q̄lit fuit declarata
Primo considerem⁹ virginis salutationē
q̄liter fuit salutata. Ingressus inq̄t euāgeliz-
sta angel⁹ ad eā. vbi Bernar. sup missus est.
dicit. Quo ingressus in secreto cubiculo vbi
clauso sup se ostio orabat patrē in abscondito:
ad eā dicit orantē: suspirantē: lachrymantē.
Nā si cōceptio p̄cursoris fuit denūciata: p̄ri
occupato i sacro officio multo p̄babilis est
q̄ cōceptio saluatoris denūciata fuit virgini
in deuotōe feruētissima existēti. Erat aut̄ vt
cōiter doctores tenēt tūc hora cōpletōz: et sa-
era illa cōfabulatio p̄tracta fuit vsq; ad no-
ctis mediū. Dixit ergo blanda voce angelus
virgini. Ave ḡra plena dñs tecū bñdicta tu
in mulieribz. Vbi l3 salutando eam amplissi-
me magnificauerit de eue p̄mutatōe: q̄ sicut
eua oē malū occasionaliter induxit humano
generi: ita virgo illo ablato p̄tulit oē bonūz
dñi dedit nobis deū et de singulari mō essen-
di cū ip̄a deū atq; de benedictōe i mulieribz
nihilomin⁹ illud magnū est cū dixit eā ḡra
plenā. Sed hic insurgit dubitatio quō p̄go
fuerit plena ḡra cū hoc sit p̄riū xpi. de quo
dicit Jo. i. Vidimus gloriā eius gloriā quasi
vnigeniti a p̄re plenū grē et veritatis. Ad qd
rñdet tho. iij. pte. q. viij. **Q**ue plenitudo gratie
p̄t attendi dupliciter. Vno mō ex pte ip̄ius
grē. Alio mō ex pte hñtis gratiā. **E**x pte qui
dem ip̄i grē dicit esse plenitudō ex eo q̄ aliq̄s
p̄tigit ad summū grē: et q̄stuz ad essentia: et
q̄stū ad virtutē: q̄. s. h3 gratiā et in maxima ex-
cellētia q̄ p̄t haberi et in maria extensione ad
oēs grē effect⁹ et talis gratie plenitudo est p̄
pria xpi. **E**x pte vero subiecti dicit esse grē pleni-
tudo q̄n aliq̄s h3 plene gratiā fm suā p̄ditio-
nē siue fm intensionē put in eo est intēsa ḡra
vsq; ad terminū p̄fixū ei a deo fm illud ad
Ep̄b. iij. Vnicuiq; vestrū data est ḡra fm
mensurā donatōis xpi siue etiā fm virtutem
inq̄stū. s. h3 facultatē grē ad oīa q̄ p̄tinent ad
suū statū siue officiū sicut apl⁹ dicebat. **V**i-
bi aut̄ oīm sanctorz minimo data est ḡra hec
illuminare hoīes rē. **E**t talis grē plenitudo
nō est p̄pria xpo sed cōmunicat alijs p̄ xpm.
Igit̄ beata virgo dicit ḡra plena nō ex pte ip̄i
grē: q̄ nō habuit gratiā in summa excellētia
qua p̄t haberi nec ad oēs effectus grē. Sed
dicit̄ plena ḡra p̄ cōparationē ad ip̄am: q̄. s.
habebat ḡraz sufficientē ad statū illū ad quē
erat electa a deo. vt. s. ess3 mater dei. **E**t simili-
ter Stephanus dicit̄ plena gratia q̄ habebat
gratiā sufficientē ad hoc vt esset idoneus mi-

nister et testis dei ad qd erat electus. Et eadē
rōne dicendū est de alijs. **M**ariū tñ plenitudi-
nū: vna est plenior alia fm q̄ aliquis diuini-
tus est p̄ordinatus ad altiorē vel inferiorē
statū. **Q**uestione aut̄. xviij. terciē p̄tis ita ha-
betur. q̄ quanto aliqd magis appropinquat
principio in quolibet genere tāto magis par-
ticipat effectū illius principij. **U**n dicit Dio-
nisi⁹. iij. c. celestis ierarchie. **Q**ue angeli qui
sunt deo p̄pinq̄iores magis p̄ticipāt de bo-
nitatibz diuinis q̄ homines. **C**hristus aut̄ est
p̄incipiū gratie fm diuinitatē quidē aucto-
ritatiue scdm humanitatē instrumentaliter.
Beata autē virgo maria p̄pinq̄uissima fuit
christo fm humanitatē: q̄ ex ea accepit hu-
manā naturā. **I**deo p̄ ceteris maiorē debuit
a xpo plenitudinē gratie obtinere. **S**ciendū
tñ q̄ in ip̄a virgine fuit triplex p̄fectio gratie
Prima quidē quasi dispositiua per quā red-
debat̄ idonea ad hoc q̄ esset mater xpi: et hec
fuit p̄fectio sanctificatōis. **S**ecūda p̄fectio
gratie fuit ex p̄sentia filij dei in eius vtero in-
carnati: et hec fuit p̄fectio cōceptionis. **T**er-
cia aut̄ est p̄fectio finis quā habet in gloria
Que autē secūda p̄fectio sit potior q̄ prima et
tercia q̄ secūda patet quidē vno modo per
liberationē a malo. **N**am primo in sua satis-
factione fuit liberata a culpa originali. **S**e-
cūdo in cōceptione filij dei fuit totaliter mū-
data a fomite. **T**ercio in sui glorificatōe fu-
it liberata ab omni miseria. **A**lio mō per or-
dinē ad bonū. nā primo in sua sanctificatōe
adepta est gratiā inclināntē eam ad bonum.
In cōceptione aut̄ filij dei cōfirmata est ei gra-
tia cōfirmans eā in bono. **I**n sui vero glori-
ficatione cōsummata est eius gratia p̄ficiens
eam in fruitione omnis boni. **S**ed orit̄ hic
difficultas an beata virgo habuit aliq̄s gra-
tias gratis datas: puta sapiētie et virtutū et
miraculoz ex eo q̄ non legitur docuisse qd
spectat ad sapiētia: aut miracula fecisse. **A**d
quod ita dicit sanctus **T**ho. **N**ō est dubitā-
dum quā in beata virgo acceperit excellenter
donū sapiētie et gratiā virtutū et etiā gratiā
p̄phetie. nō tñ accepit vt haberet oēs vsus ha-
rū et similiū gratiarū sicut habuit christ⁹ sed
fm q̄ cōueniebat cōditioni ip̄ius. habuit nā
q̄ vsū sapiētie in cōtemplando fm illud
Luce. ij. ca. **M**aria aut̄ cōseruabat oīa verba
hec cōferens in corde suo. **N**on autē habuit
vsū sapiētie q̄stū ad docendū eo q̄ non
cōueniebat serui muliebri. **N**am vt dicit a-
postol⁹. **M**ulierī docere in ecclesia nō p̄mit-
to. **M**iraculoz vero vsus sibi nō cōpetebat

dum viueret. qz tūc ipis doctrina cōfirman-
da erat miraculis xpi. Et ideo soli xpo z ei
discipulis qui erāt baiuli doctrine xpi cōue-
niebat miracula facere: ppter qd etiam de Jo-
hanne baptista dicit Jo. x. Q. signū nullum
fecit vt. s. oēs in xpo intenderēt. Usū autē
pphetie habuit virgo vt piz in cantico qd fe-
cit. Magnificat aīa mea dñm. **S**cdo cō-
sideremus virginis turbationē. de qua scri-
bit Lucas. que cū audisset turbata est in ser-
mone eius et cogitabat qualis esset ista salu-
tatio: vbi apparet laus virginis. In auditu:
in affectu: et cogitatu. In auditu laudat mo-
destia qz audit et tacet. In affectu verecūdia
vnde turbata est. In cogitatu prudentia: qz
cogitabat qualis esset ista saluatio. Turbata
est autē de angeli sermone nō de eius visione:
qm angelos sepe viderat sed nunqz talia lo-
quētes audierat. ob nouitatē igif salutatiois
admirari cōpulsā fuit. Nā vt Hieronim⁹ ait
Iniungit noua legatio angelo et virgo no-
uam pfectā virtutē noue salutatiois honorat
obsequio. Franciscus de marone in suo. iij.
di. iij. dicit. qz virgo sanctissima i hac sua tur-
batione cogitabat mysteriū incarnatiois ver-
bi qd sibi in salutatioe extitit reuelatū. Et di-
cunt quidā qz sibi etiā fuit cū hoc reuelatum
mysteriū passionis filij sui. Alij vero tenēt et
melius qz mysteriū incarnationis in ea con-
plendū fuit sibi reuelatū non tū modus. s. qz
virgo pareret: et ideo timebat ne hoc esset vel
fieret cum virginitatis diminutione. iccirco
de hoc timebat. Et forte plus appetebat eē vir-
go qz verbū cōcipere sine virginitate. virgi-
nitas enī est de numero laudabiliū. verbū ve-
ro cōcipere est de numero honorabiliū circa
qd nō est virtus sed premiū virtutis. Premi-
um vero honorabile sed virtus laudabilis:
sed virtus est magis appetēda qz premiū vir-
tutis: qz hō circa virtutē meret: nō autē circa
premiū: qz nec est in sua pte. **T**ercio cōsi-
deremus virginis declarationē qualiter fuit
ab angelo declarata z cōfortata. ne timeas in-
quit maria. s. de salutatioe insolita: cui⁹ causa
subdit. Inuenisti enī gratiā apud deū nō so-
lum p te sed pro toto genere humano. Vbi
Bernard⁹ ait. Quā gratiā: dei et hoīm pacē
mortis destructionē z vite reparationē. Sub-
didit angelus. ecce cōcipies in vtero z pies fi-
lium et vocabis nomē ei⁹ iesum: hic erit ma-
gnus. Semp enī fuit magnus deus: sed fu-
turus erat magnus homo z magnus ppheta
fm qz dicit Luce. vij. ca. Propheeta magn⁹ sur-
rexit in nobis z filius altissimi vocabitur et
ipius dei qz solus est altissimus. Nā vt expo-

nit Rico. de lira sequendo Bernardū. Nos
mo enī alt⁹ est inter creaturas corporales: sed
angelus altior: deus solus altissim⁹. Ista au-
tem filiatio dei accipit hic p naturā in oībus
alijs qstuncūqz sanctus est tū filiatio dei p
adoptionē. Addidit angelus. dabit illi dñs
deus sedē dauid patris sui z regnabit in do-
mo iacob in eternū: qd spūaliter intelligendū
est. Nam xps nō sedet sup thronū dauid lo-
quendo de tpali regno immo istud negauit
corā pilato dicēs. Regnū meū nō est de hoc
mundo: tū in resurrectione sua accepit potesta-
tem etiā inquantū hō sup oēm creaturā: fm
qz ipse dixit Matthei vlti. ca. Data est mihi
ois potestas in celoz in terra. Inquantū enī
deus nō accepit aliquā potestatem de nouo si-
ue in tpe. Angelus ergo loquitur hic de regno
spūali et celesti qd figuratū fuit per regnū da-
uid tpale sicut et celestis hierusalē per tempo-
rale: ppterea dixit. Regnabit in domo iacob
in eternū. i. sup electos. Dicit hic Rico. de li-
ra qz de domo abraam et isaac aliqui fuerunt
reprobati sicut ismael et esau. Sed in domo
iacob oēs ei⁹ filij a sanctis doctoribus inter
electos sunt cōputati. qz et si aliqui peccauer-
unt tū egere penitentiā. cōclusit angelus de
xpo. Et regni eius nō erit finis. Nam fm qz
dicit Nicolaus de lira. Christus nō solum
inquantū deus sed etiā inquantū hō regna-
bit in eternū sup hoīes et angelos. Dixit autē
maria ad angelū. Quō fiet istud qm virū nō
cognosco. licet enī crederet firmiter verbum
angeli implendū de cōceptione xpi quia tū
angelus ad plenū nō expresserat modū cōci-
piendi. Ideo de hoc quesuit allegando vir-
ginitatis amorē. fm enim qz dicūt doctores
in. iij. di. xxx. Beata virgo anteqz desponsa
retur ioseph habuit obseruantia castitatis vir-
ginalis in pposito ex instinctu spūs sancti nō
tū vouerat expresse. Sed cū postea deo ordi-
nante esset ei desponsata qui erat in simili p-
posito simul emiserūt votū. Respondens er-
go angelus declarauit modū cōcipiendi di-
cens. Spiritus sanct⁹ superueniet in te. qd
multipliciter exponit Tho. in. iij. di. iij. Pri-
mo superueniet in te. i. sup possibilitatē z cur-
sum nature dando fecunditatē z seruādō vir-
ginitatē. Secūdo superueniet in te. i. supra
id qd habes de plenitudine eius: quia sicut
olim impleuit mentē nunc implebit ventrē.
Tercio superueniet in te. i. super de celis ve-
niet: quia omne datū optimū desursum est.
Quarto superueniet in te. i. supra merita tua z
supra merita oīm creaturarū. Quinto sup-
ueniet in te. i. supra oēs qz ante te fuerunt. Et

virtus altissimi. s. dei filius qui est patris sapiens et virtus. vt dicitur i. ad Corint. i. ca. **O**brumbrabit tibi. i. sub vmbra carnis latebit. qz sub vmbra carnis latuit virtus deitatis. **I**ohannes et qd nascet ex te sanctus. Sanctus dicitur ab absolute absqz determinatione: qz si diceretur sanctus deus vel sanctus homo vel aliqd cōsimile nō ex pressisset sanctitatem ei⁹ cōplete. qz in eo est sanctitas diuina et humana et quicqd sanctitatis p̄t excogitari in quacūqz creatura eminenti⁹ est in xpo. Ideo dicit sanctus absqz determinatione. Sicut etiā dixit moysi Exodi. iij. c. **E**go sum qd sum: sic dices filius israel. Qui est misit me ad vos vt p̄ hoc ostenderet qd plenitudo essendi immo infinitas est p̄pria ipi⁹ dei. Et postea cōclūsit angelus. Vocabitur filius dei: nō adoptiuus sicut alij sed naturalis. Et ad maiore assertionē declarat angel⁹ dictū suū p̄ exemplū inquit. Et ecce elizabet cognata tua et ipa cōcepit filiū in senectute sua. Et hic mensis est sextus illi qd vocatur sterili: qz nō erit impossibile apud deū omne verbum. i. factū. dicere enī dei est facere. s. m. illud ps. Dixit et facta sunt. Et licet maius sit virginē parere qz vetulā sterilem. Tū vt Ambrō. dicit in exameron. **O**b hoc multe steriles pepererūt vt p̄tus credat virginis. Et iō cōceptus elizabet sterile inducit nō quasi sufficiens argumentū: s. qz si figurale quoddā exemplū. Et ideo ad cōfirmationē hui⁹ exempli sumit argumentū efficac ex oīpotētia diuina. Tempus iā adest o illibata virgo vt aperiās sponso celesti pulsanti vt dei filius in tuo vtero leta suscipias vt matrimonij diuine et humane nature tuo sacro cōsensu pficiās. Ecce in celestibus spiritibus tā auidissima est expectatio. In patribus in limbo manentibus tot clamores et gemitus. In boībus viatoribus de deo recte sentientibus tot pfunda suspiria vna vox oīum: vnus clamor: vna p̄catio. Angelus gabriel noīe oīum te p̄cat tibi supplicat vt p̄ eū iam dicta et indubitāter p̄missa acceptare benigne digneris.

Quod cōceptio xpi fuit miraculosa rōne virginis et tps atqz inauditi muneris.

Capitulū. iij.

Tercij mysterij p̄templandū circa virginis annunciationē dicitur mirabilis cōceptionis. Currite gētes vndiqz et inspicite cordis oculis mariā virginē post tāta sibi diuinitus reuelata cū incredibili humilitate nō sine lachrymis genuflexa et manib⁹ prius expansis facieqz ad celū erecta paulatim caput inclinādo brachiaqz remittendo dicere. Ecce ancilla dñi fiat mihi s. m. verbū tuum.

Sup quo verbo Bernardus ait. Que est tā sublimis hūilitas qd cedere nescit honorib⁹: insollescere nescit gloria. Mater dei eliget et ancillā se noīat. His verbis explet⁹ adueniēte spū scō mox verbū in vtero: mox intra vterū verbū caro p̄cepitqz virgo filiū. Fuit autē illa cōceptio miraculosa triplici rōne.

Primo rōne temporis.

Secundo rōne virginis.

Tercio rōne muneris.

Primo fuit illa cōceptio miraculosa rōne tps. qz facta fuit in instanti: nra vero successiue s. m. Damasco. Nā vt inq̄t tho. in. iij. di. iij. et. iij. p̄te. q. xxxij. Cōceptio xpi facta fuit virtute diuina que cū sit infinita effectū suū subito et in instanti p̄ducere p̄t. Tū in illa cōceptione q̄tuor simul et semel facta fuerūt virtute dei. Primū fuit cōuersio sanguinis purissimi beate virginis in carnē et alias p̄tes corporis xpi. Scdm fuit formatio mēbrozū organicoz. Tercij animatio corporis organizati. Quartū assumptio corporis et aīe a diuinitate: ita vt in eodem instanti inuentus sit xps in ventre virgineo verus hō et verus deus.

Secundo fuit illa cōceptio miraculosa rōne virginis. Dagnū q̄ppe est et supnaturalē vt virgo cōcipiat. Sed vt ait tho. vbi. s. Miraculū cōtingit esse duob⁹ modis. Vno mō qn neqz agēs est naturale neqz materia est naturalit̄ p̄portionata ad talē formā vt formatio hoīs de limo terre qd est miraculosa tā ex p̄te agentis qz patiētis. Alio mō cōtingit miraculū qn materia ē naturalis: agēs vero supnaturalis: sic dñi aliqz a febre sanat. Quia ergo materia quā xgo administrauit ad formationē corporis xpi fuit naturalis ex q̄ naturaliter formari p̄t corp⁹ hoīs et p̄t hāc materiā naturalē xps dñi naturalis fili⁹ virginis. S. virt⁹ formās fuit diuina. Et qz vnūqzqz magis indicat s. m. formā qz materiā: et s. m. agēs magis qz s. m. patiēs. Inde est qd cōceptio corporis xpi dicitur simplicit̄ miraculosa et supnaturalis: s. m. qd vero ex p̄te materie p̄t dici naturalis.

Tercio cōceptio xpi p̄t dici miraculosa rōne muneris. Cōcessum quidē fuit virgini i tali cōceptu mun⁹ inauditū. vt. s. plus posset ipa facere de deo qz de de seipo. Que dam enī cōtraria et p̄dictoria inter deū et virginē videbant qd dum accessit deus ad virginē concordata sunt. Puta impossibile erat deū non generare: impossibile erat virginē nem generare. Impossibile erat deū generare nisi deū. Impossibile erat virginē generare deū. Impossibile erat deū cum alia p̄sona generare. Impossibile erat virginē sine alia

persona generare. Accessit deus ad virginē
 et necesse fuit virginē generare et non aliū q̄
 deū et nō de alio q̄ de se. **S**z de nō potuit ge-
 nerare nisi deū de se. et tū p̄go deū fecit hoies
 De nō potuit generare nisi infinitū: immor-
 talē: eternū: insensibilē: inuisibilē: palpabilē:
 sub forma dei. **S**z virgo fecit eū finitū mor-
 talē: mendicū: temporale: palpabilē: sensibilē:
 visibilē sub forma serui suppositū sub natura
 creata. Virū certe vna puella nescio quibus
 blandicijs maiestātē diuinā inclinauit: vesti-
 uitiq̄ summū amabile obprobrijs: angustijs
 penalitatis et ignominijs. qd totū p salute
 hūani generis pcreatū est. **I**git̄ res stupē-
 da et oī plena pietate. **E**cce q̄ p recōciliatio-
 ne hūana paceq̄ cōponenda inter oī potētissi-
 mū deū offensum et reū hoīem inscrutabilis
 altitudo diuinī p̄siliū matrimoniū p̄trahens
 dum inter dei filiū et humanā creaturā mira-
 dispensatōe stabiluit. **E**t qm̄ cōsensus efficit
 matrimoniū missus est a patre misericordia-
 rum et luminū angelus gabriel ad mundis-
 simā virginē q̄ donis sublimata diuinis in-
 cōparabilis erat vniuersis q̄ tā pie tamq̄ sa-
 lutari diuine dispositioni in totū nature hu-
 mane p̄sona p̄beret cōsensus. **A**dmiranda
 legatio et ex oī pte veneratōe dignissima que
 nec primā simile visa est: nec h̄re sequentem.
Quid enī maius. qd sublimius. quid deni-
 q̄ salubrius hūano generi de celo offerri po-
 tuit plane nihil. **Q**d enī natura non habuit
 vsus nesciuit: ignorauit rō: mens nō capit hu-
 mana: pauet celū: stupet terra et oīs creatura
 mirat̄. hoc totū p gabrielē marie nunciā et p
 xpm̄ adimplet̄. **N**ā in virginis vtero verbū
 caro factū est. **Q**uisq̄s igit̄ es q̄ xp̄iano noīe
 gloriāris mysteria huiusmodi iusto ppen-
 de iudicio. **T**ibi enī quondam abiecto. **T**ibi
 excluso a paradisi sedibz. **T**ibi p exilia longin-
 qua morienti. **T**ibi in puluere et cinere reso-
 luto dū in nulla esset spes viuendi p incarna-
 tionē filij dei et virginis potestas data est vt
 a longinquo ad tuū reuertaris actorē: reco-
 gnoscas parentē: liber efficiaris ex seruo: de
 extraneo pueharis in filiū vt q̄ ex corrupti-
 bili carne nat⁹ es ex dei spū renascaris et ob-
 tineas p gratiā qd non habes p naturā. **D**e-
 mus ergo deo clementissimo gr̄as et virginē
 matrē p̄ssimo colamus affectu vt sic pueni-
 re possimus ad p̄riam celestē in q̄ viuūt et re-
 gnāt de⁹ p infinita secula seculor. **A**men.
Sermo vigesimūseptim⁹ de priuilegijs
 maternitatis virginis marie ppter q̄ ipa ma-
 ter prestantissima et singularis merito nun-
 cupatur.

Unde hoc mihi vt
 veniat mater dñi mei ad me. Eliza-
 beth sanctissime verba sunt ista ori-
 ginaliter Luc. i. c. et in euāgelio hodiernē fe-
 stiuiratis. **D**ie festū visitatōis gloriose virgi-
 nis marie debite celebrare volētes p̄scrutari
 diligenter debemus q̄ excelsa supremaq̄ sit
 laus eius ex eo q̄ facta fuit tanti filij dignis-
 sima m̄r. **N**ā elizabeth vetula nō a femetipa
 sz spūs sc̄i radio illustrata hoc nō sine admi-
 ratōe gr̄adi p̄clamauit. **S**tatim nāq̄ postq̄
 virgo filiū dei de spū sc̄o cōcepit exurgens
 abiit in mōtana. s. bierlm̄ q̄ erat altior galilea
 cū festinatōe p̄t honestatē ne diuini⁹ videt̄
 in publico et intrauit i domū zacharie et salu-
 tauit elizabeth. **A**d quā salutatōz exultauit
 infans **J**ohes sex mēses h̄ns i vtero m̄ris.
Hec vero exultatio vt inq̄t **A**ug⁹. ad **D**arda-
 nū potuit esse significatio rei tāte. s. q̄ mulier
 essz m̄r dei a maioribz cognoscēde nō a puu-
 lo cognite. vñ in euāgelio nō d̄r credidit in-
 fans i vtero et⁹ sed exultauit. **V**idim⁹ autē
 ultationē nō solū puuloz sz pecorū eē. **S**ed
 hec inusitata existit: q̄ in vtero **E**t ideo sic lo-
 lent miracula fieri facta est diuinū i infante
 nō humanū ab infante. quāq̄ etiā potuerit
 in illo puero accelerat⁹ eē vsus rōnis et volū-
 tatis vt intra viscera materna iā posset agno-
 scere: credere et p̄sentire ad qd in alijs puulis
 etas expectat̄. hec **A**ug⁹. **Q**ui neutrū det̄-
 minate asserit sz siue exultatio illa fuerit ab-
 q̄ hoc q̄ **J**ohānes p̄gnouerit diuinā p̄nāz
 siue q̄ illā p̄gnouerit totū tñ ascribit diuino
 miraculo **R**epleta igit̄ fuit elizabeth spū sc̄o
 et exclamauit voce magna bñdixitq̄ virginē
 et fructū ventris ei⁹. **I**nde q̄ p̄ba ptulit i be-
 mate posita in q̄bz se humiliādo licz esset vir-
 gine antiquior tñ q̄ m̄r erat virgo xp̄i: indi-
 gnā se tā vrbana salutatōe fatef. **P**ropterea
 itaq̄ qz et nos indeficiēter visitamur a virgine
 q̄ blanda ē dulcis et liberalissima cūctis mor-
 talibz m̄r atq̄ gratie ac m̄e nuncupat. **I**deo
 in p̄nti sermone de maternitatis ei⁹ p̄uilegijs
 p̄stantissimis filio suo interueniēte tractabis
 mus. distinguemus autē tria p̄uilegia.
Primū d̄r totalitatis.
Secundū veritatis.
Terciū dignitatis.
Ox xps̄ traxit totā corpulentā substantiā
 a virgine m̄re ope spūs sc̄i. **E**t quare xps̄ nō
 d̄r fili⁹ spūs sancti. **C**apitulū. i.
Primū p̄uilegiū maternitatis virginis
 gloriose diciē totalitatis. **A**lij nāq̄ filiū
 corpulentā substantiā accipiūt p̄im a patre